

poena temporali, quæ culpâ condonatâ eis luenda restabat. Hunc secundum sensum innui quoq; his verbis à Paulo, vel certè illum ipsum ex priore genuino sensu facilè deduci, asserit *Cornelius*. Sed gratias agimus Jesuitis, quod vi veritatis coacti eandem profiteri voluerint, atq; sic concedere, sensum priorem à Spiritu S. PRIMO & PROPRIE intentum ac genuinum esse. Quid g. opus est sensu secundariò, frustra & in fraudem excogitatò, atq; intentioni Spiritus S. & Apostoli contrariò? Ostendant, si possunt, Jesuitæ, ubi Apostolus innuat 1. Satisfactiones sibi redundare, 2. suas satisfactiones esse medium satisfactionis Christi aliis applicandæ, 3. se Ecclesiæ applicare Christi satisfactionem suis satisfactionibus, & quidem 4. pro poena temporali, quæ dimissâ culpâ restaret luenda, Et 5. deniq; Colossenses satisfacere DEO per Pauli passionem. Hoc certè nec ex hoc, (quicquid etiam *Calixtus* Pontificiis hîc, non omnibus tamen postulantis, & expressè contranitente *Estio* in verbis suprâ laudatis, quibus disertè profitetur, ex his verbis Apostoli Indulgentias probari non posse, largiatur, *posse scilicet hunc locum, si ex aliis locis ea opinio probata esset, explicari, passum esse Paulum pro corpore Ecclesiæ sive instruendo prædicationibus, sive confirmando Exemplis sive expiando satisfactionibus*, quæ verba ipsius Bellarmini sunt) neq; ex alio Scripturæ dicto probabunt, quùm in toto codice V. & N. T. non extet vel mandatum, vel promissio vel approbatio satisfactionis alienæ pro peccato. Contrarium quidem habetur ibi, scilicet unumquemq; in iudicio onus suum portaturum esse Gal. VI. 5. Non g. Paulus Colossensium, sed ipsi Colossenses onus suum portabunt. Quid multis? Paulus ipse scribit Corinthiis I. Cor. I. 12. *Num Paulus crucifixus est Pro Vobis?* Idem scribere poterat Colossensibus. Paulus ergò nec pro Corinthiis, nec Colossensibus, nec ullo alio homine crucifixus est aut satisfecit.

§. 21. In reliquis adductis rationibus *Cornelius* petit principium, quod scilicet Passiones secundæ æquè, imò magis, ne quid desit blasphemix, pro Ecclesia Christi suscipiantur, quàm primæ, quùm hæ fiant saltem pro infidelibus convertendis, illæ verò secundæ pro fidelibus. Respondemus, idem per idem, falsum